


D V C A T V S
V E N E T V S,
vulgo
I L D O G A T O.



Magnitu-
do.

Septem-
maria.

Venetia.

Conditoris.

Via præcedens tabula totum etiam fere Ducatum Venetum comprehendit, non alienum credidimus ejusdem descriptio nem hic subjungere, cum Maginus merito summoque judicio hunc inter Italiam regiones à Blondo numeratum dicat. Habet, inquit Blondus, ejus Ducatus regio terminos longitudine millium octoginta, ab aquis olim Gradatis ad Lauretum oppidum à Vitali Fale dro ædificatum; nunc autem Pado proximum, ubi ad Fornacer Padi ostia appellantur. Latitudo vero varia nullos habet alios terminos, quam quousque cedentes recedentesque maris aquæ ad siccum stagnando perveniunt. Ejus regionis diverso modo meminerunt vetusti scriptores. Antoninus enim Pius, hæc nunc Venetiarum stagna Septem maria appellat, quæ à Ravenna Altinum usque septem vada essent navi transmittenda. Et Virgilius:

*Et fontem superare Timavi.
Vnde per ora novem vasto cum murmure montis
It mare praruptum, & pelago premit arva sonanti.*

Mare enim quod per ora novem it præruptum, & premit arva pelago sonanti, est hoc totum quod à Pado ad aquas Gradatas littus rumpens, colles ejus, poëticæ à Virgilio mon tes appellatos, inter ipsa vada linquit; quæ nunc littora vocamus. Insulæ eo conclusæ spatio, quæ habitantur, varios habuerunt conditores, qui in unicam hanc Venetiarum civitatem opes & consilia contulerunt. Vnde hanc Venetiarum civitatem pro una regione non immerrito à nobis positam esse intelliget, qui considerabit non modo opes ejus cuiuscunque alterius regionis Italiam opibus æquiparandas esse; sed multas fuisse urbes, multa oppida, quorum excidio hæc unica sit condita: Aquilejam, Altinum, Concordiam, Patavium, Montesilicis, Opitergum, Eraciam, Equilium, Gradum, Caprulas & Lauretum: quanquam & ex Vicentia, Verona, Mantua, Brixia, Mediolano & Pa p'a ab Attila afflictis, & ab aliis Italiam civitatis, præsertim urbe Roma, in persecutionibus

Italia.

nobiles & potentiores quosq; Venetas à principio configuisse, certum est. Aquilejenses primi Gradum, Concordienses condidere Caprulas: Altinates sicut urbem suam in sex portas divisa habebant, sex quoque in stagnorum insulis oppida considerunt, Torcellum, Majorbum, Burianum, Amoriacum, Constantiacum, & Aimanum: Patavinorum pars Rivum altum, & postea Dorsum durum: Montesilicenses, Atestinique Methamauchum, Albiolam; Palestrinam, sive ut Plinius appellat, Pilistinam, & fossam Clodium. Crevit autem illico ab ipso conditionis initio Veneta civitas, quia non à pastoribus sicut Roma, sed à potentioribus, ditionibusque regionis olim Venetæ fuit à principio habitata. Haec tenus Blondus. Ludit de Venetiarum nomine eleganter his versibus Nicodemus Frischlinus:

*Aut Venus à Venetiis sibi fecit amabile nomen;
Aut Veneti Veneris nomen & omen habent.
Orta maris spuma fertur Venus; & Venetorum
Si videas urbem, creditur orta mari.
Iuppiter est illi genitor: sed Mars pater huic est;
Mulciberi conjunx illa: sed ista Maris:
Compleat amore sui Venus omnia, qui Venetam
urbem
Non amat, hunc nunquam debet amare Venus.*

Vrbs, modicas complexa insulas circiter 60, *Situs.* sita est in intimo sinus Hadriatici recessu, mediis in stagnis, quæ in æstu singulis senis horis irrigua; adfuso, qua oriens est, pelago, quod tamen, ne sua violentia vel ira sit noxiun, præjectis aliis quibusdam insulis, tanquam ageribus cohibetur. Licet non muris, non propugnaculis, non turribus ullis sit munita; loci tamen natura est tutissima. Quamplurimis dividitur canalibus. Vicis pene omnibus sui sunt rivi, conjungentibus ipsos pontibus ex lapide lignove circiter 450. Inter canales principis loci, qui vulgo *Canal grande*, longitudinalis trium milliarium, qui urbem totam in duas quasi dirimit partes; circa medium pontem gestans visendam. Ita commoditas passim urbem vel pedibus percurrenti, vel cymbis, quarum numerus octo dicitur millium. Vulgo *Gondolas* appellat. Ambitus urbis octo circiter milliarium. *Ambitus.* Imperii magnitudine, populi frequentia, opum *Qualitas.* *N n* splen-

Canales.

Pontes.